

blicæ militiam facerent, nisi ad suam quisque patriam decem dierum spatio rediissent, eorum se bona publicatum, atque ipsos hostium loco habiturum: præter cætera plurimi eam ob rem etiam legatis permittentibus discesserant. Eorum adventu sollicita civitas, ut plebs ad exercitum juvandum pronior fieret, portorium frumento molendo exigi vetuit, quoad bellum esset confectum. Ad id ut Senatus voluntas accederet, cum eadem civitas per legatos petiisset, Patres in ejus gratiam portorium in omne tempus sustulerunt. Iisdem diebus templorum aliquot urbanorum sacerdotes edicti Juliani metu, quo iis omnibus aqua & igni interdicebatur, nisi e ditione reipublicæ recederent, atque in primis Georgiani, quorum est celebrimum in insula e regione comitii fanum, cum supellecili aurea argenteaque Ferrariam, atque in Mantuanum agrum profugerunt, ut urbs eo genere hominum pene destitueretur, civitasque in primis rei divinæ assueta, magnam ex eo molestiam caperet. Antonii etiam Justiniani literæ ex Alpibus datae Senatum certiorem fecerunt, Tridenti Episcopum se audire noluisse, quod diceret ab aqua & igni interdictorum sermonem atque aditum esse defugendum. itaque paucis post diebus cum nihil impetrare potuisse, Senatus permisso domum rediit.

Miserant in Flaminiam Patres Joannem Jacobum Carolidum, uti Ravennam urbem, & Cerviam, & Ariminum, & Faventia arcem (nam oppidani se dediderant) reliquaque Venetæ ditionis in Flaminia municipia abductis tormentis, receptisque iis, quos bello captivos hostes fecerant, Senatus auctoritate Julii ministris traderet. Ii cum fide scripto data, se se & tormenta asportari permisfuros, & captivis libertatem donaturos, & præter hæc, quod erat primum atque maximum, uti evestigio interdicendum antiquaretur curaturos, oppida ipsa receperint: in nullo eorum quæ pepigerant, persistenterunt, retentis tormentis, & captivis Romam missis, non iis modo qui bello capti fuerant, sed illis quoque, qui præfecti oppidorum atque arcium illa ipsa pacate tradiderant, civibus

*Monachi S.  
Georgii ma-  
joris Vene-  
tiis abeunt.*

*Redduntur  
Julio oppi-  
da omnia in  
Flaminia.*

Vene-